



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

I. Vt saeculares, qui res ecclesiasticas detinent, nisi admoniti se correxerint, excommunicentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

620 FORMOSVS CONCILIVM ARNVLPHVS REX GERMANIE,
PAPA. ODO REX FRANCORVM.

annis visitaret gentem Cornubiensem, ad extirpandos
eorum errores. Nam antea in quantum potuerunt verita-
ti resistebant, & non decretis apostolicis obediebant. Sed
& aliis prouinciis constituit Plegemundus archiepiscopus
duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum
Bernodium ordinavit, & Mercionibus Cenulphum ad ci-
uitatem quæ dicitur Dorkecestre. Hoc autem totum papa
Formosus in Synodo sancti Petri sic conclusit, vt damnare-
tur in perpetuum qui hoc salubre mutaret Concilium. Mi-
sit etiam in Britanniam literas, quarum [†] exemplar hoc est.

^{t Supr.}
pag. 616.

CONCILIVM VIENNENSE,

AB EPISCOPIIS REGNI ARELATENSIS,
præsidentibus Formosi papæ legatis, Viennæ celebra-
tum in basilica Saluatoris, anno Christi DCCXCII. For-
mosi eiusdem papæ anno II. Odonis regis v.

TITVL CANONVM.

- I. *Vt seculares, qui res ecclesiasticas detinent, nisi admoniti se cor-
rexerint, excommunicentur.*
- II. *Vt seculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dishonesta-
rint, nisi ecclesia satisfaciant, excommunicentur.*
- III. *Vt qui egrotantis seu defuncti
episcopi vel presbyteri eleemosy-
nam fraudat, excommunicen-
tur.*
- IV. *Vt seculares ecclesiastas inconsul-
tis episcopis non dent: neque cen-
sus ullus introitus causa exigat.*

PRÆFATIO.

HÆC capitula facta sunt anno dominicæ incarnationis
DCCXCII. indictione x. iussu domini Formosi apo-
stolici congregata Synodo apud Viennam metropolim
Galliarum, præsentibus legatis sanctæ apostolicæ sedis vene-
rabilibus episcopis Paschali & Ioanne, & aliis coepisco-
pis eiusdem regni, quorum nomina subter habentur
adscripta, in basilica vrbis ipsius sancti Saluatoris nomi-
ne consecrata.

CANONES.

I.

Vt ab iniusta inuasione & possessione ecclesiasti-

ANNO CHRISTI
892. carum rerum sœculares abstineant, & qui hactenus hoc fecisse noscuntur, emendare cogantur: & si admoniti non se correxerint, tunc congruo tempore virtute Spiritus sancti, ex auctoritate beati Petri apostoli, habeantur excommunicati.

II.

Vt sœculares, qui de catalogo clericorum aliquem occiderint, vel castrauerint, vel aliquo membro detruncauerint, seu temere dehonestauerint; & de præteritis pœnitendo ecclesiæ satisfaciant, & emendare studeant. Quod si non fecerint, supradicto tempore excommunicentur.

III.

Vt eleemosynam episcopi, vel presbyteri, ægrotantis seu defuncti nemo qualibet fraude violare præsumat. Quod si quis fecerit, nisi emendauerit, simili sententia feriatur.

IV.

Vt nemo sœcularium ecclesiæ dare, vel offerre, absque consilio & voluntate episcoporum, ad quos ipsæ ecclesiæ pertinent, præsumat. Et vt nulli census a presbyteris loco muneric ad introitum, vt dicunt, ecclesiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

*Concilium Viennense.] Editum a Baronio in appendice tomij XII.
ex codice Massonianio, qui nunc est in bibliotheca archiepiscopi Tolosani. Visuntur & alia eorumdem Canonum quædam exemplaria.*